



Crimen Fori Ecclesiastici

Seu Decretalium Gregorii IX. Pont. Max. Liber V ; Brevi Methodo ad discentium utilitatem Expositus, In quo praecipuae circa Materiam hujus Libri Quinti, quae tum in Theoria, tum in praxi occurrunt, difficultates solvuntur, allatis etiam contrà sentientium fundamentis, & horum solutionibus

Accedunt duo Indices, unus Titulorum initio Operis, alter rerum, & verborum notabilium in calce ejusdem

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1727

VD18 13510827-001

Titulus XXII. De Collusione detegenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75232)

TITULUS XXII.

De Collusione detegenda.

SUMMARIUM.

1. Quid sit Collusio?
2. Quot modis possit contingere?
3. Inter quos?
4. Et in quibus causis?

Sortilegiis Collusio jungitur; nam & ipsa Falsi species est. De hac proinde

Quæritur 1. quid sit Collusio? *ry.*

est latens, & fraudulenta conventio inter Actorem, & Reum. Gloss. in c. *audivimus* 3. v. *collusione* b. tit. Sylv. v. *collusio* n. 1. Host. *Summ.* b. tit. n. 1. Vivian. in c. 3. cit. pr. Fagnan. *ibid.* n. 4. Gonzal. in c. *fin. tit. eod. n. 3.* Barbof. *ad Rub. bic* 7. *colludere.* Wagnereck *ibid.* pr. Vallens. n. 1. Pirh. n. 1. König n. 1. Wiestner n. 1. Reiffenst. n. 1.

Quæritur 2. quot modis Collusio possit contingere? *ry.* contingere potest maximè duobus modis. Unus est, quando Actor, vel Accusator Rei accusati partes tacitè adjuvat, veras probationes celando, vel omitiendo, aut falsas Rei exceptiones, vel defensiones admittendo, ut pœnam reus evitet, & Judicium publicum reddatur illusorium c. *scripta* 1. & c. *fin. b. tit.* Host. l. cit. Engl. *bic* n. un. Pirhing n. 1. König n. 2. Wiestner n. 2. Alter, quando Accusator ab accusatione ob eundem finem omnino desistit. *text.* & DD. *citt.* Priori modo facta collusio à Civilistis dicitur *prevaricatio*, & colludentes *Prevaricatores*; posteriori *Tergiversatio*, & ejus Rei *Tergiversatores*: de quibus dictum *suprà Tit. 2. a n. 23.* Præsumitur Collusio, si Accusator, & Reus repentè redierint in gratiam, qui antea erant Adversarii. Wagnereck in c. 1. b. tit. in *not.* qui addit ex *Barbofa*, ex sola amicitia non præsumi collusionem; sunt enim multi boni amici, qui ultra Aram amici esse nolunt.

Quæritur 3. inter quos contingere Collusio possit? *ry.* contingere potest tam inter Clericos, quàm inter Laicos, & quidem non tantum inter principales, sed etiam per Advocatos, & Procuratores, dum videlicet horum aliquis in præjudicium sui principalis cum altero principali, vel ejus Advocato colludit manifestando ei secreta, vel dissimulando, aut non refutando refutanda, vel probationes efficaciores omitiendo &c.

6. 7. 8. Quid de hac in Jure statutum sit?

9. 10. 11. Quomodo Accusatio, vel Inquisitio in casu factæ Collusionis repeti adversus Collusorem possit?

Vallens. *bic* n. 1. *fin.* König n. 4. Reiffenstuel n. 4. ubi tamen notandum, Advocatum ita malè procedendo non dici propriè Collusorem, sed impropiè tantum *arg. l. prevaricator* 1. §. *is autem* 1. ff. de *Prevar.* ibi, *Ceterum Advocatus non propriè Prevaricator dicitur.* Unde etiam potius Falsarius, quàm Collusor dicitur, & pœnis falsi subjacet, per dicta *Tit. 20. n. 22.*

Quæritur 4. in quibus causis committi possit Collusio? *ry.* juxta Host. in *Summ.* *bic* n. 1. Vallens. n. 1. Pirhing n. 1. Wiestner n. 1. & alios committi crimen hoc potest tam in criminalibus, quàm in Civilibus, tam in Spiritualibus, & Ecclesiasticis, quàm in temporalibus, ac profanis causis. Alii autem cum Mascard. de *Probat. concl.* 322. n. 2. Barbof. *ad Rubr. b. tit. 7. colludere*, König n. 5. Reiffenstuel n. 3. contendunt locum huic crimini solum esse in Criminalibus, & Beneficiis Ecclesiasticis, minimè verò in Civilibus *Rationem* dant, quia in Civilibus licita est Transactio concordia, & amicitia colligantium, vel totalis litis sublatio, hoc ipso, quòd agatur tantum de privato interesse ipsorum: dum econtra in Processu criminali agitur de bono communi, exigente, ne delicta maneant impunita. Ego utrique Sententiæ aliquid tribuo, & cum prima concedo, Collusionem contingere posse etiam in Civilibus causis, quando lis agitur per Procuratores, & Advocatos, vel per principalem ex una parte, & Procuratorem, vel Advocatum ex altera: nego autem, cum secunda in his causis locum Collusioni esse, si utrinque principales per seipso litigent, nisi tum, quando isti inter se colludunt in causa matrimoniali, vel in præjudicium tertii.

In materia Beneficiali factæ Collusionis casus habetur c. *audivimus* 3. b. tit. & est, quando Clericus Beneficiatus super Beneficio à se possessio litem confingi, aut sibi moveri patitur, ut Actor probans, quòd sibi in illud jus competat,

Ccc 3

in

in illo succedat, & possessor quidem, dum vivit, Beneficium retineat, sed Actori solvat pensionem: qua arte à Clericis Anglicanis Beneficia in suos Consanguineos transmissa, & quasi hæreditaria aliquando reddita fuisse patet ex *c. cit.* & notat *ibidem* Gonzal. n. 1.

6. Quæritur 5. quid de ejusmodi Collusionibus in Jure sit constitutum? R. tria hoc Titulo statuuntur. 1. si circa Beneficium Ecclesiasticum facta sit, & probetur facta esse, eo privandus est uterque *c. audivimus 3. b. tit.* idque non solum, ut delicta non maneat impunita, sed etiam, & multò magis, ne colludentium fraus, ipsis lucrosa, & damnosa Ordinariis, ac Patronis sit, cum istis hoc modo præcludat viam ad collationes, & præsentationes, quæ iisdem aliàs competit. *Gloss. fin. in c. cit. Vivian. ibid. pr. Fagnan. n. 1. & 2. Barbof. n. 1. & 3. Gonzal. n. 10. Wagnereck ibid. in Summ. Vallens. hic n. 2. Pirhing n. 6. König n. 8. Wiestner n. 4. Reiffensuel n. 9.*

7. 2. Si accusator in Judicio ab accusatione desistat, Judicis erit ex officio inquirere, an id fecerit ex Charitate, & propter respicientiam accusati, quod tolerari potest: an verò ob præmium, h. e. pecuniarium acceptam; & hoc posterius si factum deprehendatur, ita colludentibus imponenda est pœna arbitraria, seu extraordinaria pro diversitate circumstantiarum *l. sciendum 2. ff. de prævaricat. ibi, sciendam, quòd hodie iis, qui prævaricati sunt, pœna injungitur extraordinaria, junctâ l. accusatorum 7. §. siquis 7. & l. in privatis 3. ff. ad 8. c. Turpill.* Insuper incurrunt infamiam *l. si is 4. ff. de prævaricat. König n. 8. Reiffensuel n. 8.* In reum autem denuo inquire, & juxta merita causæ procedi potest *c. scripta 1. & c. seq. b. tit. ne delicta maneat impunita contra textum c. ut fame 35. de Sent. Excomm. Vivian. in c. 1. cit. circa fin. Barbof. ibid. n. 1. Engl. hic n. un. Pirh. n. 2. Reiffens. n. 5.*

8. 3. Etsi aliàs reus super crimine, à quo per sententiam legitime absolutus est, accusari amplius nequeat, per textum *c. de his 6. de accusat. & dicta Tit. 1. n. 93.* casu tamen, quo absolutus solum est per Collusionem, nova in ipsum Accusatio, vel Inquisitio institui potest *arg. c. fin. b. tit.*

l. prævaricationis 3. §. nam si 1. ff. de Prævaric. junct. l. siquis 11. C. de Accusat. Abb. in c. fin. cit. n. 5. Barbof. ibid. n. 1. Gonzal. n. 2. Wagnereck fin. Vallens. hic n. 2. Pirhing n. 3. 4. & 5. König n. 8. Reiffensuel n. 6. Sed de hoc

Quæritur 6. quomodo Accusatio, vel Inquisitio repeti quoad sic absolutam possit? Videtur non posse repeti. 1. quia sententia Judicis absolutoria crimen sic tollit, ut de eo quæri non amplius possit, *c. de his 6. de accusat. & l. si cui 7. §. iisdem 2. ff. eod.* 2. abolitione sopitur crimen *l. qui potentatus 1. c. de general. abolit. ergo multo magis extinguitur transactio, vel compositione cum Accusatore facta.* 3. transactio non minorem auctoritatem habet, quàm res judicata *l. non minorem 20. C. de transact. & l. jusjurandum 2. ff. de Jurjur.* Sed per sententiam absolutoriam omnino tollitur crimen: ergo etiam transactio,

Sed aperta in contrarium stat Juris decisio, qua permittitur Judici inquisitio ex officio *c. scripta 1. c. crimina 2. & c. fin. cit.* & alteri accusatio Rei sic absoluti *l. prævaricationis 3. §. nam si 1. ff. de prævar. & l. siquis 11. C. de Accusat. ne delicta maneat impunita, & reus ex malitia sua commodum referat.*

Neque contrarium probant Argumenta allata in oppositum. Ad 1. id verum est, quando sententia absolutoria valida est, secus, si invalida, qualis est, quæ per Collusionem obtenta est *l. cum non 3. ff. b. tit. l. præses 5. C. de Fignor.* Ad 2. abolitione sopitur crimen quoad transigentem, non verò permittitur quoad alios: unde formari potest Inquisitio ex officio à Judice. Gonzal. n. 6. Ad 3. Sententia, & Transactio non in omnibus æquiparantur; nam super crimine publico, non capitali, judicari potest, non tamen transigi. Super capitali autem transigi quidem potest *l. transigere 18. junct. Gloss. V. capitali c. de Transact. cum ignoscendum sit ei, qui sanguinem suum qualiter qualiter redemptum voluit, prout dicitur l. in capitalibus 1. ff. de bon. eor. qui ant. sentent. sed Transactio hæc solum transigentem ab Accusatione denuo facienda arcet, non verò alium, nec Judicem ab Inquisitione instituenda, Clar. §.*

fin. q. 58. n. 4.